BENEDICTUS PP. XIV

AD FUTURAM REI MEMORIAM Alias fel: rec: Innocentio PP. XII Predecessori Nostro pro parte clar: mem: Caroli Secundi dum vixit Hispaniarum Regis Catholici exposito quod dudum rec: mem: Innocentius PP. XI pariter Predecessor Noster Hospitali Innocentium nuncupato Civitatis Ispalen. de alicujus subventionis auxilio providere volens eidem Hospitali unam pensionem annuam Mille et quingentorum ducatorum monetæ Hispaniæ super fructibus, redditibus et proventibus Mensæ Archiepiscopalis Ispalen., quæ de Jurepatronatus ipsius Caroli Regis ex privilegio Aplico cui non inveniebatur cautum in aliquo derogatum esse dignoscebatur, ad decennium tunc proximum dumtaxat duraturam sub certis modo et forma tunc expressis reservaverat, constituerat et assignaverat, et alias prout in ejusdem Innocentii XI Predecessoris litteris desuper sub plumbo expeditis uberius dicebatur contineri; Et in eadem expositione subjuncto quod decennii ad quod pensio præfata sicut præmittitur reservata fuerat, finis imminebat, nec tamen causæ propter quas reservatio pensionis hujusmodi facta fuerat, adhuc cessaverant, cupiebatque propterea idem Carolus Rex eandem pensionem ad aliud decennium prorogari quemadmodum tunc existens Archiepiscopus Ispalensis suum ad id consensum jam præstiterat, idem Innocentius XII Predecessor supplicationibus ipsius Caroli Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus et attento consensu prorogationis hujusmodi a supradicto Archiepiscopo præstito, reservationem, constitutionem et assignationem supradictæ pensionis annuæ Mille et quingentorum ducatorum monetæ Hispaniæ hujusmodi super fructibus, redditibus et proventibus supradictis a memorato Innocentio XI Predecessore factas ut prefertur ad aliud decennium ab ultima die præcedentis decennii computandum sub certis modo et forma tunc expressis, Aplica auctoritate prorogavit, extendit et ampliavit; Et subinde rec: mem: Clemens PP. XI quoque Predecessor Noster reservationem constitutionem et assignationem ejusmodi pensionis annuæ Mille et quingentorum ducatorum monetæ Hispaniæ super eisdem fructibus, redditibus et proventibus a præfato Innocentio XI factas et ad alios decem annos ab Innocentio XII prorogatas extensas et ampliatas respective ut prefertur, bis ad alios decem annos dumtaxat pro qualibet vice; ac postmodum piæ mem: Benedictus PP. XIII itidem Predecessor Noster eandem prorogationem reservationem constitutionem et assignationem præfatæ pensionis, prout demum Clemens PP. XII pariter Predecessor Noster ad aliud decennium semel simili auctoritate sub certis modo et forma tunc expressis respective prorogarunt extenderunt et ampliarunt et alias prout in utriusque Innocentii, Clementis XI, Benedicti XIII et Clementis XII Predecessorum litteris desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem sicut Charissimus in Christo filius Noster Philippus earundem Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit decennium ab eodem Clemente XII Predecessore prorogatum brevi expiraturum sit, seu jam forsan expiraverit, indigentia vero dicti Hospitalis pro curandis infirmis adhuc de præsenti perduret, ac proinde idem Philippus Rex dictam pensionem ad aliud Nobis benevisum tempus prorogari plurimum desideret, jamque Venerabilis Frater modernus Archiepiscopus Ispalensis suum ad id consensum præstiterit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in præmissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate Aplica dignaremur. Nos igitur ipsius Philippi Regis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac dilectorum filiorum modernorum Administratorum Hospitalis hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes: hujusmodi supplicationibus inclinati: de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio reservationem, constitutionem et assignationem supradictæ pensionis annuæ Mille et quingentorum ducatorum monetæ Hispaniæ super fructibus redditibus et proventibus Mensæ Archiepalis Ispalen. Hospitali prædicto, et pro eo illius Administratoribus præfatis ad decem annos ab Innocentio XI factas et ad alios decem annos ab Innocentio XII et a Clemente XI bis nec non a Benedicto et a Clemente XII Predecessoribus semel prorogatas, extensas et ampliatas respective ut præfertur ad aliud decennium dumtaxat a fine decem annorum ultimo loco ab eodem Clemente XII Predecessore prorogatorum hujusmodi computandum, servata in reliquis utriusque Innocentii, nec non Clementis et Benedicti ac ultimo dicti Clementis Predecessorum litterarum forma et dispositione, auctoritate præfata tenore præsentium iterum prorogamus, extendimus et ampliamus, Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac Hospitali et Administratoribus præfatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Aplici Auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Aplicis ac omnibus et singulis illis quæ in supradictis utriusque Innocentii, Clementis XI, Benedicti, et Clementis XII Predecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die X. Julii MDCCXLV. Pontus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passioneus

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Bulla del S.r Benito
14. su Data en 10 de
Jul.o de 1745. en que prorroga
al Hosp.l p.r 10 a. dentro del
dia de 765. la pension de
1500 duc.s annuales sobre los
frutos y r.tas de la Mitra Arzo-
bisp.l de esta Ciud./

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

PERGAMINOS, 773
Hospital de los Inocentes, leg. 5

DIPUTACIÓN PROVINCIAL SEVILLA
ARCHIVO